



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Consid. de mortificatione, & continua sui victoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

6. Si media, quæ intellectum acuunt, tam promptè am-  
pis; cur vexationem, quæ dat intellectum, respuis? an nos,  
test S. Gregorio, quicunque stultus est in culpa, sapienter  
in pœna.

7. Cauterium in corpore pateris, ut salute corporis potu-  
ris; cur pro salute animæ non tantundem facis.

8. Vinum absyuthio licet amaro mixtum amas, ut calo-  
rem corpori concilias; cur ut calore charitatis exestues, tri-  
bulationes non perinde diligis?

9. Arbor bona non potest malos fructus facere, curego  
tribulationes à DEO immissas, malas esse existimas?

10. Ne ager tuus herbis inutilibus repleatur, aratto cum  
proscindis; cur in animum tuum, ne urticis vitorum scatus,  
tribulationis instrumentum admittere recusas.

11. Si frigus circumstans calorem per antiperistasis au-  
get; cur tu ut in amore DEI proficias, à tribulationibus obli-  
deri refugis.

12. Si particulam materialis crucis Christi ab aliquo do-  
natam magni beneficij loco, nec sine singulari gaudio acci-  
pis; cur spiritualis crucis partem, quæ longè præstantior et  
cum tristitia & odio excipis.

#### CONSIDERATIO

#### DE MORTIFICATIONE ET CONTINUA SVI VICTORIA.

I. **S**chem, ut potiretur nuptiis Dinæ, se totumque Popu-  
lum circumcidì curavit; cur tu, ut per amorem copule-  
ris Divinitati, per mortificationem te sensusque tuos cir-  
cumcidere non conaris.

2. David, ut fieret gener Regis, libenter centum præputia  
obtulit; cur tu, ut sias amicus DEI, & Sponsus Divinitatis  
non promptè offeras præputia omnium cupiditatum.

3. Magni Principes non nisi in papyro tenera, & bene  
contusa, & circumcisâ scribere solent; cur ergo non & tu  
DEO animum bene mortificatus, in quo conceptus fuo-  
scribat, offers.

4. Ut ij, qui scissionem membrorum admittere coguntur,  
Leviūs ferant dolorem, variis mediis prius caro mortifica-  
tur; cur non & tu, ut leviūs feras persecutionum & tribula-  
tionum

tionum violentiam, per mortificationem prius animum præparas.

5. Si lignum viride difficulter ignem concipit, quomodo tu speras à divinæ charitatis igne inflammari, nisi prius per mortificationem a refecris mentem.

6. Saxum, si bene lævigatum sit, facile, quoconque in loco vult, Muratius collocat; cur tu, ut tam necessariam Religioso indifferentiam obtineas, non prius te per continuam mortificationem lævigare studies.

7. Si avis novis plumis contegi non potest, nisi veteres deponat; quomodo tu novis virtutum ornamenti vestiri poteris, nisi prius veteres mores inordinatorum affectuum deponas?

8. Si penna vel modico humore gravata sit, difficulter in altum sustollitur; quomodo ergo tu sperare potes, te per orationem facile meatem ad cælos elevaturum, nisi prius ab omni luto terrenorum appetituum eam per mortificationis exercitium liberaveris?

9. Quid sentires de eo Duce, qui singulis fere horis cum suis hostibus dimicans, semper victoriam & prædam referet? cur ergo non & tu ad similem laudem aspiras assidua tui mortificatione & victoriâ obtinendam.

### CONSIDERATIO DE HUMILITATE.

1. Cum Deus & homo habeant se sicut lignum v. g. contignum, & numerus, quorum iste tantò magis augetur, quantò magis illud diminuitur; cur tu non libenter minueris per humilitatem, ut tantò amplius Deus in gloria crescat?

2. Si Deus perinde ut natura vacuum non patitur; cur non ab omni tui æstimatione per humilitatem te evacuas, ut Deo & cœlestibus donis replearis?

3. Filii hujus sæculi tanta agunt, & patientur, ut magnum sibi nomen comparent; cur tu te non, quantum potes, humilias, ut cum Christo acquiras nomen super omne nomen?

4. An nescis valles præ ceteris locis à radijs solis calefieri, & fæcundari? cur ergo non & tu humilitatem potius, quam altitudinem sestaris?

s. Si